
IN COMMENTARIUM

DE VITA ET SCRIPTIS

AULI IANI PARRHASII CONSENTINI

ANTONII IANNELLI ACADEMICI CONSENTINI

APPENDIX SECUNDA





NEAPOLI
Ex Typographia Vincentii Priggiobba
1846.

IN COMMENTARIUM

DE VITA ET SCRIPTIS

AULI IANI PARRHASII CONSENTINI

ANTONII IANNELLI ACADEMICI CONSENTINI

APPENDIX SECUNDA. (1)



Iam unus et alter annus est ex quo, post varios casus rerumque mearum discrimina, Commentarius de Vita scriptisque Auli Iani Parrhasii, philologi profecto aetatis suae facile principis, me adnotante atque curante in publicam lucis usuram ex formis emittebatur. Quum autem hanc mihi ab Auctore demandatam adnotandi atque edendi Commentarii procurandam adgrederer provinciam, ea sane mens fuit, ut quod tum attentabam opus non ad meum tantum, sed quoad per me fieri poterat, ad Patrui mei potissimum propositum responderet. Verum enimvero quamvis huius tenax propositi ita me gessissem, ut aliquot post menses perampla quidem de Iano Parrhasio notitiarum supellex ex synchronis posterioribusque scriptoribus deprompta meis in adversariis praeberet se conspiciendam; ac omni ope in id tum dumtaxat incumberem atque advigilarem, ut singulae quaeque notae locum in Commentario suum decenter sortitae tenerent, eaque

(1) Excerpt. ex Ephemer. litter. *il Progresso Fasc. II. Marzo ed Aprile 1846.*

itidem exornarem illum praefatione quae rebus in eodem ab Auctore descriptis lucem plane offunderet clariorem, ac in celebrando Parrhasio atque Itala, et praesertim Neapolitana, Seculi XV et XVI litteratura amice cum operis textu coniuraret: res tamen nihilo secius prout mente definieram minime cessit, sed adversae valetudinis ergo, in ipso fere vestibulo ab opere manus revocare coactus fui, et eius adnotandi curam in tempus remotius differre. Ad studia autem ad sex fere menses intermissa quum tandem, valetudine patriis in Laribus penitus adsecuta, hanc in urbem me retulissem, ac opus adgressum pro viribus ad umbilicum ducere sperarem, tum quoque tot tantaeque supervenerunt, quas referre non vacat, maturandae editionis et rationes et caussae, ut non praefationem modo contraxerim, sed longe aliud subiectum in ea susceperim pertractandum, et notas perstringere fusiores, ac plurimis earum remittere nuncium oportuerit. Quamobrem huic primo industriae meae in literis periculo illud quatrare videtur, quod de carminibus suis mutatas hominum formas narrantibus, olim scripserat Naso; scilicet:

« Ablatum mediis opus est incudibus illud,
» Defuit et scriptis ultima lima meis (1).

Sed res quamvis haud secus quam modo dictum est se habuerit, editio tamen Vitae parrhasianae ab egregiis Sociis Consentinis iamdiu votis omnibus exoptata, tum apud ipsos et eruditos Urbis huiusce viros, tum apud alios nonnullos inter doctiores Italiae cives (quorum iudicio tantum tribuo, ut illis fastiditum non esse

---

(1) V. *Trist.* lib. 1. Eleg. IV. v. 29. et seq.

valde honorificum existimem), aliquam mibi(citra iactantiam dico) laudem conciliavit atque existimationem. Qui quidem eventus si meum utique explevit, haud sane inflavit animum, ita ut nihil in edito a me volumine desiderari ac omne tulisse punctum in eodem tenerem. Siquidem eumdem Commentarium italica versione illustratum egregius iuvenis Fidelis-Maria de Guzzis quamprimum editurus, a me si quid forte vel expungendum in eo vel addendum haberem plus vice simplici quum postulasset; et ut iuvenem studiosum promerer, et ut mihi ipsi facerem satis, ei citra laborem tum emendationes cum additiones aliquas me sibi brevi daturum spopondi, ut quod propter nimiam festinationem vel me omnino fugerat et latuerat, vel pratermiseram invitus, locum in opere suum tandem adsequeretur. Quamobrem alterae appendicis titulo, praeter nonnullas in Commentarium animadversiones (quoniam id plerisque doctis viris pergratum fore comperii), eas epistolas imprimendas curabo, quas ipsemet dederat Parrhasius ad Georgium Trissinum, virum quippe de Italicis literis meritissimum, et praeclarus Ludovicus Bossi mediolanensis primus vindicavit in lucem. Hactenus huius scribendae Appendicis, quamquam totus intendissem in eam, nulla se obtulit occasio: nactus tandem, fidem meam liberare studebo.

Exordiar a Praefatione. Siquidem in ea pag. IX dicitur a me *adhuc inedita* celebris illa elegia, qua a Hieronymo Carbone, poëta sane perpolito, docti aevi sui Neapolitani viri celebrantur. Sed contra legatur *edita*, quum eam in lucem assertam fuisse pateat a Carolo Borrelli in opere cui titulum ipse fecit: *Vindex Neapolitanae nobilitatis etc.* pag. 61. et seqq.

Pag. 23, not. 3. — Bailleto viro Cl. et quibusdam aliis scriptoribus nimis aspere Parrhasium nostrum pro nominis sui mutatione insectantibus, occurrere sategi ea nota quam modo citavi. Ab ea, quam hac de re ibi tuli, recedendum sententia non duco; quin immo firmius adhaeream. Sed quoniam incomperta fortasse lectoribus erit ratio, qua *levissimam* dixi *inflexionem* qua ex cognomine *Parisio* Ianus illud deduxerit *Parrhasii*, eam propterea amplius desiderari non sinam. Gentem *de Parisio* vel simpliciter *Parisio* iam inde a Guillelmi cognomento *Boni* aetate ex Galliae urbe principe proditam, et Italiam a quodam Rogerio, viro sane strenuo et generoso, invectam, plures testantur praeclarae notae scriptores. Qui porro nobilissimus vir inter Barones ut vocant Regni Neapolitani cooptatus, deque gente sua optime meritus, antiquissimae Patriae suae nomen omnibus ex ea, pluribus vero ipsum praenomen suum usurpandum reliquit. Verum nomen illud quod gallice *de Paris*, vel potius *Paris* simpliciter efferebatur, apud latinos scriptores nostrates, Iani quidem aetate, *de Parrisiis*, et *Parrisii* obtinuerat, apud quos ipsae Lutetiae Parisiorum plerumque *Parrisii* nuncupantur (V. Pii Bonon. *Emendat. in var. auct.*, et alios quos consulto praetermitto ne lectoris patientiam hac una super re longius abutar). Ergo Ianus, quum temporum suorum rationi obsequendum ipsi fuit, in nomine mutando diu quidem non laboravit; sed nullo prorsus negotio ex aspera atque barbara illa voce dulciorem et literatam deduxit, ac proinde *Parrisii* nomen in illud inflexit *Parrhasii*, quod ab eodem Iano in hominum existimationem vindicatum, eius nepotes retinuerunt, ac diu servaverunt incolume.

Pag. 29. *Romam concessit* etc. Fallitur ergo Xaverius Mattei qui, supine quidem, Paullo Iovio, Petro Bayle sexcentisque aliis indulgens atque adhaerens, scribere non dubitavit: *Parrhasium paullulum Neapoli immoratum ad Gallos Cisalpinos abiisse (V. Comment. de Vit. Parrhas. praepos.* edit. *de Reb. per epist. quaesit.* Neap. 1771 pag. XII.); et eius praetermisit cum in eadem urbe Neapoli bonarum literarum professionem, tum in Iapygia scripturam, ceterasque vicissitudines ad citatam usque paginam Commentarii a Patruo meo enarratas; tum denique eiusdem Iani mansionem Romae ad annos fere duos, itemque politiorum studiorum ibidem lectionem.

Ibid. *Et Fridericum sane* etc. et not. 2. — Parrhasius, ut egregie scripsit Auctor, tum ob praeclara sua facinora probatamque in reges Aragonios fidem, tum etiam ob non levia patris sui in eosdem merita, munus longe praestans publica in re nactus fuerat. Verum brevi, Viti Pisanelli regis Administri calumnia, lapsus in Friderici tum imperantis invidiam, et ex sublimi loco in tristem deiectus conditionem; Romae primum, deinde Mediolani quo profugus concesserat, inimicos suos verbo scriptisque lacessere non destitit et reges Aragonios, praesertim Fridericum, ut dominos iniquos traduxit: quae omnia ne gratis asserta et temere scripta haberentur, pluribus testimoniis ex operibus eiusdem Iani depromptis ego firmare operae pretium duxi, ut edito in Commentario videre est (V. pag. 29 sup. cit. not. 2. et pag. 30, not. 1.). Verum istud negotium etiamsi ita prorsus se habuerit, scio tamen nonnullos doctos viros, mihi ceteroquin humanissimos et Auctori amica consuetudine coniunctos, aegerrime tulisse Aragonios et prae ceteris Fridericum ut re-

ges iniquos in opere traduci, qui de literis atque scientiis adeo promeriti fuerant. Sed bona eorum venia dicam non recto quidem consistere talo quae Auctori mihique parum grati et reverentis animi in dictos reges inuritur nota; quum plane liqueat relata adversus eosdem maledicta et iniurias non ex propria mente et persuasione, sed ex sensu et opinione Parrhasii proferri. Porro historico munere heic quoque Patruus meus et ego perfuncti sumus, quemadmodum superius (V. Comment. pag. 13.) quum de miro favore fecimus verba, quo iidem reges bona studia atque scientias prosequebantur.

Pag. 41. not. 3. *Vel vix si salve dixerit* etc. Quod heic ex Furio Vallo exscripsi, secundum est profecto inter epigrammata longe propudiosa, quae Damianus Nauta in Parrhasium effudit, vel ex prius datis in Minutianum, deinde retorsit in eum. Prout apud Furium et in Commentario legitur, carmen integrum minime habendum erit; pluribus enim obtruncatum est disticis in principio, uno tantum decurtatum in fine. Quamobrem qui integrum desiderant, ista praemittant disticha, quae in Petri Mazzucchelli *Excerptis* cum iam relatis et altero distico quod inferius exscribam, carmen absolvunt.

Ad eundem (nempe *Ianum Parrhasium*) *responsio.*

Pro duce Thersites bello si pugnet Achilli:
Non timeat Priami regia celsa senis;
Conjuge contentus rapta Menelaus adoret
Hectora, vel Paridem, vel sua signa ferat.
Turpius haud quisquam vin ictae signa ferenti
Si latitet dubiae tempora militiae.
Vel quoniam fortes pugnarunt Pergama nunc sunt
Diruta: Thersites non habet ille locum.

Deinde sequuntur distica quae in cit. loc. Comment. occurrunt; ad quorum calcem istud adstipulandum est quod carmen concludit; scilicet:

Utque magis perdam latrantem febre veneno,
Carmina non scribam candidiora nive.

Et plura sane edidissem in notis Nautae epigrammata quo satius animus eius gloriosus, et virulentum in Parrbasium ingenium lectoribus paterent. Sed quaeso, cui bono? Porro operae pretium minime fuisset carminibus immorari, in quibus latinae linguae saepissime proprietas, morum vero sanctitas fere semper desideratur.

Pag. 77. *Venetias quo advocabatur contendit* etc. Ex dictis in hoc loco Commentarii facile omnes, sicut et egomet duobus abhinc annis, sibi in animum inducere possent, Parrhasium recta Mediolano Venetias contendisse. Sed codicibus manuscriptis eiusdem Iani accuratius excussis atque pervolutis, quaedam forte in ipsis offendi, quae me ab lata recedere sententia coëgerunt. Codex enim membranaceus qui est CLXXX, quique Publii Terentii Comoedias exhibet: in quarta pagina plane vacua ex ipsius Iani manu haec habet: *A. Iani Parrhasii et amicorum Genuae emptus aureo et semis.* Similiter in altero codice pariter membranaceo qui est CCCCI, et Auli Gellii *Noctium Atticarum* libros XX complectitur, ab eadem manu descripta cum in secunda pagina adhuc vacua, tum et in alia pariter vacua post indicem titulorum operis occurrente, haec notula habetur: *A. Iani Parrhasii, et amicorum Genuae emptus ex praeda piratica.* Parrhasius enim in unoquoque codice, ut ex ipsis elucet, urbem qua eum coëmerat, proprio obsignavit charactere; quae vero urbes eae erant profecto, quas ipse inviserat vel quibus

degerat. Scimus praeterea, ipsomet Iano referente, *se male feriatum* ad quinque menses *huc illuc*, *illinc huc errasse*, ex quo Mediolanum reliquerat. Quum nullum exinde Parrhasio fuerit tempus visendi Genuam opportunius, nulla praeter hanc commodior occasio: ideo tenendum est omnino, priusquam Venetias appulerit, Genuam urbem Liguriae principem, Nostrum petiisse.

Pag. 89. *Quatuor circiter per menses mansit* etc. Neapoli quoque ex renascentibus podagrae doloribus aliquantulum Noster laboravit. Qua de re Cosmus Anysius hoc dedit ad Ianum haud rude epigramma:

Parrhasi hoc tibi pro pedum labore
Carmen mittere jussit Aesculapii
Numen, cum facili Deo incuberem
Noctem continua incubatione.
Tu lege et pedibus simul medere.
Mox cum te solitae ambulationi
Gressu iam valido esse restitutum
Senties, volo me voces, ut una
Unam perpetuam diem teramus
Diserta et lepida ambulatione.
V. Cosmi Anys. *Varior. Poëmat. lib. I. cart.* 15.

Pag. 97. *Petramalam, propinquum Agello oppidum* etc. Errant ergo qui cum Xaverio Mattei (V. §. XVIII. Comment. sui), Marchione Spiriti (V. *Memor. degli Scritt. Cosent.* pag. 24 e segg.) ac universis de Iani vita scriptoribus, eumdem Ianum toto fere quatriennio Consentiam incoluisse tenent, et eius temere praetereunt lecturam Agelli, Tabernae et Petramalae.

Pag. 99. *Quod sanc. nisi Mediolani* etc. Quas deflet

Parrhasius in Oratione ante praelectionem epistolarum Ciceronis ad Atticum calamitates, puta natorum suorum, et filiorum Demetrii Chalcondylae acerbam mortem, eas Xaverius Mattei Mediolani evenisse ratus est. Sed pace cl. Viri, longe abest ab eius sententia veritas. Quoad enim Demetrii filios, scimus ex Pierio Valeriano Theophilum Ticini, ubi philosophiam profitebatur, iuvenem adhuc fuisse interfectum; Seleucum in pueritia occubuisse; Basilium Romae, in cuius praestantissima Academia graecas literas publice docebat. Ad Iani filios autem quod pertinet, nimis ieiune eos Mediolani omnes interiisse dicit, quum ex relatis ab Auctore (pag. cit.) satis superque evincatur, unum saltem cum Iano incolumem Consentiam pervenisse.

Pag. 137. . . . *Furio favet, suamque in laudem cedit* etc. Et recte: habemus enim apud eumdem Vallum longe perspicuum unum et alterum locum, ex quibus apertissime evincitur, Apologiam Iani ipsum habuisse Furium auctorem; en eius verba: « *Nam quum Ianus ab istius* (scilicet *Minutiani*) *ineptiis ita manum contin*e*t, ut ab animalibus parvis*, et *obterentes inquinantibus, ego tamen haud dissimulandum puto, quod homines ad accipiendas iniurias patientia facit opportuniores. Iniuriae quoque praeceptoris ad discipulum quam maxime spectant. . . Itaque si eum* (Minutianum) *paullo acrius inter confutandum remordebimus* etc. Et inferius: *Paucioribus haec egimus quam rei poscit atrocitas, quia Ianus habet Apologiam paratam, qua eum* (Minutianum) *cum mille facinorum, tum perfidiae reum peragit* etc. etc. Accedit quoque his Pierii Cymini auctoritas, qui de Charisii praestantia disserens, haec inter alia scripsit:. . . *Parrhasius in grammaticis ra-*

tionibus, *unius Charisianae auctoritatis maiestate tantum*, *vel maxime obtrectatorum impudentiam repressit. Hoc satis ostendit in Claudianum Ianus*, *ac ipsius Apologia Furius.* Ex quibus facillime patet, quod Sertorius Quattromani, vir ceteroquin acerrimi iudicii, minime rem accepit, quum in opere suo nondum edito, cui titulum ipse fecit: *Cosenza* etc. haec de Parrhasii Apologia memoriae prodidit: *Scrisse* (Giano Parrasio). . . . *ultimamente un' Apologia contro* un certo Furio che lo avea tocco e trafitto, *piena di tanta dottrina*, *e di cose così riposte*, *che in questo genere non mi ricordo aver letto cosa migliore* (V. ap. March. Spiriti, op. sup. cit. pag. 27. not. 3. — Nicodemi, *Addiz. alla Bibliot. Napolit. del Toppi*, pag. 88. — Elia d'Amato, *Pantapolog. Calabra* etc. etc.). Quae sane omnia satis superque ostendunt, tribuisse Parrhasio Sertorium quod in eius aemulos Furius descripserat libellum, ideoque rem penitus perdidisse.

Pag. 141. *Ipse quidem frigide admodum de more* etc. Utinam frigide tantum, et non livide ac indecore de Iano praeceptore suo verba fecisset Alciatus! In epistola enim ad Calvum, ubi Alexandrum ab Alexandro notans (utar verbis Xaverii Mattei) tamquam aliquarum rerum promum, quae falso apud antiquiores scriptores legi assereret, *Suspicor*, inpuit, *quid Parrhasianum, quem scis eos auctores plerumque adducere solitum*, *quos nunquam viderat.* Et Parrhasium fortasse eo perstrinxit epigrammate, quod XCVI est inter eius *Emblemata*, quo Doctorum cognomina recensentur his verbis:

Moris vetusti est, *aliqua professoribus*
Superadiici cognomina.
Faciles apertosque explicans tantum locos

Conon vocatur Curtius.
Revolvitur qui eodem , et iterat qui nimis
Meander ut Parisius.

Quo in *Parisio* philologum nostrum , sicut in *Curtio* Lancinum Curtium Parrhasio amicissima consuetudine coniunctum , ego nullum citra laborem agnosco. Sed quoquo modo res se habeat , temeratae in praeceptorem religionis discipulo , et praecipitis admodum iudicii heic minime occurram. Praetereundum tamen non est, quod *superbus et arrogans Alciatus* , ut cum vocat vir Cl. Ioannes Andresius (V. *Praefat. in epist. Anton. August.*) , non erubuit scriptis ac laboribus uti magistri sui , eaque in usum suum dumtaxat convertere , ac tandem in lucem asserere : quam ob rem merito a Robertello relatis a Patruo meo verbis (V. *Comment.* pag. sup. cit.) ironice alloquitur.

AULI IANI PARRHASII

AD

IO. GEORGIUM TRISSINUM

EPISTOLÆ

I.



Ut intelligas eodem me esse erga te semper animo, neque dubitare quidquam de tua voluntate esse immutatum, non secus abs te benefitium petam, quam prius. Itaque (si commodo tuo fieri potest) aureos tris huic ad me mutuo in paucos dato dies. Aerarii namque Prefectus (sic) ad Ticinensem me quaestorem remisit: eoque profectus est Theophilus (1), ut aes exigat: ac ad summum perendie revertetur; e vestigioque bonum me nomen experiere. Vale, amicorum optime.

---

(1) Nempe Calchondyla Iani levir, utpote qui Theodorae uxoris eius germanus.